



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LVII. Differentia 1. Iure civili filiusfamil, non obligatur voto:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## TITVLVS VI.

## De voto, &amp; iuramento.

**Q**uemadmodum aliis promissionibus maioris obligationis causâ addi iuramentum solet, ita votis quoque, ut, quæ Deo promittimus, per eiusmodi necessitatem stimulati promptius & citius exequamur. Erigendus animus, & cunctandi tollenda libido est. Eam ob rem hîc voto iuramentum conjugere placuit, ut commodius utriusque differentia explicetur.

## LVII.

## DIFFERENTIA I.

*Iure civili filiusfamil. non obligatur voto: l. Si quis rem, §. Voto, ff. de pollicit. Secus Iure Canonico, c. Venientis, de voto, c. Mulier 32. q. 2. Bartol. §9. Ioann. Bapt. à S. Blasio 118.*

**L**Egis citatæ, si quis rem, hic tenor est. Si quis rem aliquam voverit, voto obligatur, quæ res personam voverit, non rem, quæ voverit, obligat. Res enim, quæ voverit, soluta quidam liberat vota, ipsa verò sacra non efficitur. Voto autem patresfamil. obligantur, puberes sui juris. Filius enim famil. vel servus sine patris dominivæ auctoritate voto non obligantur, ubi *Gloss. Gottofr. Impubes, & alieni juris non obligantur ex voto, sine consensu eorum, in quorum potestate sunt. Et Greg. Tholos. l. 24. Synt. c. 13. n. 8.* Personæ omnes vovere possunt, cujuscunque sint generis, qualitatis aut sexus, nisi nominatim prohibeantur. Et voto obligantur puberes sui juris: non autem filiusfam. & servus, sine patris dominivæ auctoritate, c. *Si quis servum* 17. q. 4. c. *Ex antiquis, dist. 54. c. 1. & 2. 20. q. 2.* Quod intelligendum de il-

lis potissimum votis, quæ dominicæ potestati præjudicant, & subiectioni obstant; cujusmodi esset votum peregrinandi ad limina SS. Apost. Petri, & Pauli visitatio templorum eo tempore, quo dominus servi ministerio indiget. *Navar. c. 12. n. 64. Soto l. 7. q. 3. ar. 2.*

II. Pari modo de votis uxorum iudicandum est, teste *Innoc. in. c. Scriptura, Antonino, Silv. Navar. & aliis apud Laym. l. 4. tr. 4. c. 7.* illa vota nimirum à mariti consensu pendere, quæ juri, ac potestati ipsius, quam habet ad conjugii usum, & familiæ gubernationem obesse possunt, reliqua verò minime. Non enim est subiecta viro mulier in omnibus, nec audiendus *Tabiensis & Angles*, qui omnia vota liberorum non emancipatorum vel filiarum tantum à patre solvi posse docuerunt, licet post pubertatem facta sint. *V. Suar. l. 6. c. 4. n. 1. & c. 5. n. 6.*

LVIII. DIF.